



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Pvrgatio Canonica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

Deo. Et quia sic Deum pro ultimo fine quis habere non potest, cum non possint duo ultimi fines esse. Si vero non habeat carnis delectationem pro ultimo fine, sed affectu aliquo inordinatum, qui tamen non auertit a Deo, erit veniale. Quia præter charitatem, non contra, est.

**PVRGATIO CANONICA.**

**P**VRGATIO multis modis dicitur quandoque pro purgatione spiritali capitur, sicut dicimus per penitentiam, & baptismum peccata purgari. cap. cum omne. de consec. dist. 2. quandoque dicitur vulgaris, quæ fit ferro candenti, aqua bullienti, vel duello: de quibus si quis euaserit, dicitur purgatus. Sed hæc prohibetur sub pena mortalis peccati. in c. mennâ. 2. q. 5. & de purgatione c. per totum. quia hoc est tætare Deum. Alia dicitur canonica, à iure canonico statuta, quando quis de crimine sibi obiecto vult se immunem ostendere, & hæc fit quandoque per iuramentum infamati coram iudice suo, & iuramento testium compurgatum, qui tot esse debent, quot enormitas criminis requirit, & bonæ opinionis, & de quibus sit verisimile, quod non periurent. de purga. cano. per totum. & 2. q. 5. ferè per 10.

**Q**UANDO quis apud suum iudicem infamatus est, & infamia publica laborat, & apud graves, & bonos viros, & non est orta ab inimicis, tunc iudex debet præfigere terminum, ut si quis vult accusare, compareat, qui si compareat, audiatur canonicè, si non compareat, & infamia crebrescit, procedat iudex ad inquisitionem, & si nullus appareat etiam denunciator, nec conuincitur, tunc compellat eum iudex ad purgationem canonicam, secundum not. lo. gloss. in c. presbyter. 2. q. 5. suprâ, inquisitio. vide aliquid. per totum.

**S**USPITIO verisimilis sufficit ad inducendam dictam purgationem, quæ vis non sit quis infamatus, sed ut temeraria suspitio repellatur. c. si quis. eod. Violenta autem suspitio sufficit

ad sententiam. c. dixit. 23. q. 1. & Inn. & Host. in d. c. si quis. Aliqui dicunt, quod talis infamia etiam verisimilis, non sufficit, si non est infamis, nec semiconuictus, nec accusatus: secundum Ray. in sum. confess. quia hoc nullo iure cauetur, & quia sic prælatis aperiatur via ad vindictam, & hæc opinio videtur rationabilior.

**A**CCVSATVS, & iudicatus, si indicta sibi purgatione deficiat, debet puniri ac si fuisset conuictus. c. de hoc de sumo. Quod si per modum inquisitionis, vel denuntiationis agatur, pena erit arbitraria, secundum Gofr. Hosti. & Pan. in c. accedens. de accus. Idem dic, si propter infamiam tantum est processum extraordinarie punietur, ut est casus in ca. significasti. de adulte. & cum iudex ex præsumptione procedit, debet multum temperare sententiam, ut not. in c. afferte. de præsump. Quando verò, crimen est notorium, vel apparet accusator, non debet reus ad purgationem recipi, etiam si offert. cap. 2. eod. tit. & c. cum dilectis.

**D**e forma iuramenti se purgantem, vide in c. si quis viduam. d. 50. & cap. quotiens. eod. titu. De numero autem compurgatorum, & quales esse debeant, in d. c. presbyter. c. inter sollicitudines. eod.

**PVRGATORIVM.**

**P**VRGATORIVM negare mortale peccatum est, quia contra diuinam iustitiam, & troncum, & à fide alienum est, secundum Tho. 4. sent. d. 21. q. 1. a. 1. q. 1. & secundum Greg. Nil. qui negat purgatorium, hæreticum incurrit. Et fuit error Græcorum, quem recognoscetes in concilio Florentino abiurarunt. Potest etiã per sacram scripturam rectè intellectã probari. Nam dicitur primæ Cor. 3. Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim declarabit, qui in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit